Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26422
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ribus ecclesiae temporibus ante scisma donati magnos viros
et magna caritate praeditos patres episcopos ita inter se
compulit salva pace disceptare atque fluctuare,
ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta
nutaverint, donec plenario totius orbis concilio quod sa
luberrime sentiebatur etiam remotis dubitationibus
firmaretur. Ex evangelio profero certa documenta quibus domino
adiuvante demonstro quam recte placuerit et quam vere
secundum deum, uti scismatico quoque vel heretico hoc
ecclesiastica medicina curaret in quo vulnere separabatur.
Illud autem quod sanum manet agnitum potius adproba
retur quam inprobatum vulneraretur. Certe dominus in evangelio
dicit: Qui non est mecum adversum me est, et qui non colligit
mecum spargit. Tamen cum ad eum discipuli retulissent
vidisse se quendam in eius nomine pellentem demonia
et prohibuisse, quia cum illis eum non sequebatur, nolite inquit
prohibere eum. Qui enim contra vos non est, pro vobis est. Non potest enim
quisquam in meo nomine facere aliquid et male loqui de me.
Si nihil in illo corrigendum erat, securus sit quisquis
extra communionem ecclesiae constitutus colligit in Christi nomi
ne dissociatus a societate christiana, atque ita falsum
erit illud: qui non est mecum adversum me est, et qui non colli
git mecum spargit. Si autem quod discipuli domini per ig
norantiam facere voluerunt, id in eo corrigendum est